

27. *Triticum junceum*. Syst. Nat., edit. 10^{ma}.
Cent. plant. 13.

16. *Triticum maritimum*. Gr. loliaceum, paniculâ ramosâ, maritimum. Scheuch. Gram. 274. Rarissimum Gramen; mihi antea nunquam visum, paucis cognitum.

28. *Triticum*. Gr. loliaceum, corniculatum, latifolium, spicis teretiusculis angustis et glabris. Scheuch. Gr. 56.

29. *Triticum junceum*, idem cum 27.

50. *Alyssum pinnatum*. CB. Est mihi nova species, quam apud nullum authorem potui detegere. Miror undè habueris. Si poteris obtinere semina, quæso, ea seras, plantam delinees, describas et Actis eruditis inseras. Certè si velles mihi semina aliquot mittere, essent inter omnia gratissima. Non possum videre utrùm stamina gerant dentes, nec ne. Ex siliculâ apertè constat esse Alyssi speciem.

31. *Scabiosæ arvensis* fortè pygmæa varietas!

32. *Saxifraga*, an *Rotundifoliæ* varietas? Sic videtur ex floribus; sed folia caulina differunt. Qualia sint folia radicalia ignoro.

33. *Primula Auricula*, ut spontè provenit.

34. *Gentianæ Bavaricæ* fortè varietas magnis floribus. Non respondet exactè meis speciminibus; videtur facta ex loco grandiflora.